

parte Italiae itinera Occidentem versus per Provinciam Narbonensem continuarentur in ultimas Hispaniae partes, et quum devicto Jugurtha Africa Romanorum ditioni accederet. Ubi enim quieti possessio, ibi et viae stratae Romano more.

Multiplicatus inde labor cognoscendi locorum seriem, cujuscunque viae modum et cum aliis conjunctionem, praesertim quod experientia docente paullatim cognitum erat, quasdam vias esse immutandas, alias derelinquendas, alias diversa directione instituendas novas. Nulla certitudo inde magistratui Romano, qui vetustiore indice confisus vel ipse proficiscens omnia alia per itinera inveniret, vel necessitatibus exercitus peregrinantis prospiciens, annonam in locis a se designatis non esse reperitam audiret. E re natum igitur desiderium in dies magis magisque invaluit, ut publica auctoritate mensores per omnes mitterentur provincias, in qualibet via descripturi locorum nomina eorumque inter se distantias, quorum labore finito index universum imperium complectens Romae posset confici. Id ut fieret decretum esse C. Julio Caesare et M. Antonio Coss. multisque postea annis magnum opus ad finem esse perductum, asserit *Aethicus*, seculi quarti scriptor, in praefatione cosmographiae, ac rerum nexum et ordinem tam copiose tradit, ut acta vetusta ante oculos habuisse putetur. Sed audiamus ipsa auctoris verba:

„Julius Caesar ex senatus consulto censuit, omnem orbem jam romani nominis admetiri per prudentissimos viros et omni philosophiae munere decoratos. Ergo a Julio Caesare et M. Antonio Coss. orbis terrarum metiri coepit, id est a consulatu supra scripti usque ad consulatum Augusti tertium et Crassi, annis XXI, mensibus V, diebus IX, Zenodoto omnis oriens dimensus est, sicut inferius demonstratur. A consulatu item Julii Caesaris et M. Antonii usque in consulatum Augusti decimum, annis XXIX, mensibus VIII, diebus X, a Theodoto septentrionalis pars dimensa, ut evidenter ostenditur. A consulatu similiter Julii Caesaris usque in consulatum Saturni et Cinnae a Polyclito meridiana pars dimensa est, annis XXXII, mense I, diebus X, sicut definita monstratur. Ac sic omnis orbis terrae intra annos XXXII a dimensoribus peragratus est, et de omni ejus continentia perlatum est ad senatum.“

Clarissimus *Wesselingius* in praefatione ad Romanorum Itineraria certissimis docet argumentis, vitii quidquam inesse *Aethici* numeris annosque XXV verum esse inter inchoatum atque absolutum opus spatium. Lubenti animo non errorem calculi concedimus tantum, sed et statuimus laborem intermedio temporis passim esse interruptum. Quo enim pacto mensuratio auctoritate Jul. Caesaris suscepta, civilibus bellis jactata post ejus mortem republica, haud turbato ordine continuari potuisset? Quis sumtus necessarios erat praebiturus, senatu ad omnia alia intento? Opus resummi atque perfici non potuit, nisi postquam Octavianus Augustus solus firmum et quietum tenebat imperium.

Tres illos Graecos mensores operi perficiendo praepositos per orientis, occidentis atque meridiei partes demortuos longo temporis spatio sumamus, nec tamen cum illis fructus interiisse laboris